



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XXXIII. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß Margarethe, Tochter Balduins v.
d. Knesebeck, ihm zwei
Wispel Kornernte Zeit ihres Lebens abgekauft habe; von einem Wispel ist
nach ihrem Tode ihr und von ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

XXXIII. Das Kloster Diesdorf bekundet, daß Margarethe, Tochter Balduins v. d. Knefbeck, ihm zwei Wispel Kornrente Zeit ihres Lebens abgekauft habe; von einem Wispel ist nach ihrem Tode ihr und von dem andern Balduins Jahrgedächtniß zu begeben, am 25. Januar 1304.

Nos Aluericus, dei gracia prepositus, Ida priorissa, totusque conuentus monialium Ecclesie Distorpe recognoscimus publice protestando, Quod Domina Margareta, venerabilis matrona, relicta domini Boldewini dicti de knesbeke felicis memorie, comparauit ab Ecclesia nostra Distorpe duos choros filiginis ad tempora vite sue singulis annis eidem in octaua beati martini Episcopi, aut in Ciuitate saltwedel uel in villa nostra Distorpe in vno locorum predictorum, vbi voluerit presentandos, post cuius vero decessum Conuentui predictae nostre Ecclesie facienda est consolatio refectiua de vno choro predictorum duorum in quolibet Anniuersario Domini Boldewini memorati eternaliter perduranda, Similiter de altero choro filiginis facienda refectiua consolatio in singulis anniuersariis domine memorate nostro conuentui antefato, vt tam eiusdem domini Boldewini quam sue relicte nominate in singulis eorundem anniuersariis amborum memoria, dicto nostro a conuentu, eo studiosus atque deuotius peragetur. Domini vero Boldewini anniuersarius est Idus marcii VII. annis singulis peragendus, sed domine Margarete anniuersarius erit in die sui obitus celebrandus. In cuius rei testimonium euident presens scriptum desuper editum nostrorum munimine Sigillorum duximus roborandum. Testes autem premissorum sunt Dominus Jordanus de Hiddefaker, Dominus wasmodus, Dominus paridam, dicti de knesbeke, Thidericus et Bernardus filii domini wernerii de seulenborch et alii quam plurimi fide digni. Datum in Distorpe, Anno domini M^o. CCC^o. III^o., VIII^o. Kalendas februarii.

XXXIV. Friedrich, Bischof von Verden, sichert denen, die den Kirchhof zu Diesdorf besuchen und für die Seelen der Verstorbenen daselbst beten, einen Ablass zu, am 6. März 1304.

Fredericus, dei gracia verdenfis Ecclesie Episcopus, Vniuersis christi fidelibus presens scriptum visuris vel audituris, salutem in virginis filio crucifixo. Sollicitudo pastoralis officii nos ammonet, hortatur crebrius et inducit, vt de salute fidelium semper simus solliciti et intenti. Hinc est, quod omnibus vere penitentibus et confessis, qui cimiterium beate virginis et beati Johannis ewangeliste in distorpe, tam in claustro quam extra claustrum circuierint, et in circumeundo orationes suas in memoriam omnium fidelium defunctorum humiliter effuderint, horis vacantibus scilicet, quibus diuinus cultus nullatenus minuatur, semel in die, quadraginta dies, auctoritate dei omnipotentis et apostolorum eius petri et pauli, de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum distorpe, Anno domini M^o. CCC^o. Quarto, pridie Nonas Marcii.